



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 7. Jubilæum in annum sequentem a Nicolao promulgatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

piis operibus intentus, cum suis Equiti- Sæcul. XV.
bus Ordinis militaris S. Mauritii reli- A. C. 1449.
quos vitæ suæ dies transegit, & quam-
vis habitum monasticum non induisset,
moribus tamen ad regularem discipli-
nam compositis in hoc recessu vixit.
Quapropter immerito a quibusdam Scri-
ptoribus memoriæ traditum putamus,
Amadæum hoc vitæ genus elegisse, ut
seorsim vitam agendo, liberius deliciis,
atque voluptatibus frueretur, indeque
ortum duxisse illud Gallorum adagium,
faire ripailles, facere ripaliam, hoc est,
indulgere ventri & lætitiæ. In hac Ere-
mo sua jam quintum egerat annum, cum
a Basileensibus ad Papatum evocaretur,
quo dimisso solidum adhuc triennium
ibidem expleffe constat, cum nonnisi
anno salutis supra millesimum quadrin-
gentesimo quinquagesimo secundo sexa-
ginta octo annos natus e vita excesserit. (*)

§. VII.

*Jubilæum in annum sequentem a Ni-
colao promulgatum.*

Nicolaus, cum totam Italiam eorum,
qui Mediolanensem statum ambie-
bant,

(*) De anno mortis Amadæi omnino consu-
lendus est Pagius in suo Breviario Historico-
Chronologico tom. 5. num. 25. ad ann. 1450.

Sæcul. XV. bant, factionibus misere dilaceratam cer-
 A. C. 1449. neret, Jubilæum anno proximo celebran-
 dum indixit, ea spe nixus, Principes in-
 ter se ardentiori studio vel ideo pacem
 conciliaturos, ut liber, tutusque aditus
 ex tota Europa ad urbem pro Anno sæ-
 culari confluentibus pateret. Haud tamen
 Papa hoc dissidium integre sopire valuit;
 quamvis enim nonnulli contendentium
 ab armis desisterent, Franciscus Sfortia
 tamen & Veneti mutuis odiis in ipsa Ita-
 liæ viscera grassati sunt.

Antonin. tit.
 22. c. 12. § 2.

§. VIII.

Hispania seditionibus turbata.

Nec meliori sorte utebatur Hispania;
 nam Alvarus de Luna gratia ac ni-
 mia Regis facilitate abutens, ad susten-
 tandam, qua pollebat, auctoritatem,
 ceteros omnes Magnates Regi offensos
 reddidit, & a Regni administratione ex-
 clusit. Quapropter non solum Arragonii
 Principes tantæ injustitiæ impatientes,
 arma contra Regem sumpserunt, sed et-
 iam ipsum Regni Principem Henricum
 Regis Filium ad suas partes traxerunt.

§. IX.

Toletanorum Seditio.

Mariana
 l. 22. c. 8.

Rex igitur auctoritatem suam adversus
 rebelles armis tueri, & ad belli sum-
 ptus